



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Art. I. De Vi Absoluta seu Præcisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)



TITVLVS XL.

De iis, quæ Vi Metusve causâ fiunt.

Iudiciis hõc & sequentibus Titulis præmittimus remedia Extraordinaria, quibus Prætoris, à SS. Canonibus approbata æquitas quibusdam, Ordinarium remedium sive actionem de rigore Juris non habentibus, succurrit: eujusmodi imprimis sunt passî Vim Metusve.

ARTICVLVS I.

De Vi Absoluta seu præcisa.

SUMMARIUM.

1. *Vis alia absoluta est & alia Conditionalis.*
2. *Absoluta resisti non potest.*
3. *Eâ extorta culpâ carent & valore destituuntur.*
4. *Vis ulterius alia Publica, alia Privata est.*
5. *Quarum illa cum, ista sine armis diversimodè inferuntur.*
6. *Vis species quinque sunt, Compulsiva, Expulsiva, Turbativa, Inquietativa & Ablativa.*
7. *Istâ & Expulsivâ ablatarum rerum quantitas probari potest Jurejuramento.*
8. *Præviâ taxatione judicium præstando ab Actore.*

9. *Quod juramentum etiam in aliis rebus dolò vel culpâ perditio locum habet.*
10. *Nititurque iustissima ratione.*

VIm JCTi duplicem statuunt: I. Unam Absolutam seu præcisam, alteram Conditionalem seu impulsivam: quarum illam præsentî, hanc sequentibus § §. exponemus.

Vis itaque, seu Violentia absoluta & præcisa secundum Paulum JCTum, est **2.** Majoris rei imperus, cui resisti non potest. **1.** Vis autem 2. ff. Quod met. causâ gest. Aliis verbis, at eodem sensu Philosophus, Vis seu Violentum, inquit, est, cujus principium est foris, in quod nihil is, qui agit aut patitur, confert 3. *Et hic cap. 1.* Sed potius omnibus viribus renititur; cum enim hujusmodi vis inferitur, aut quid eâ extorquetur, principium actionis aliunde & extrinsecus venit, neque ulla est voluntas patientis: sicut contingit, cum inevitabili violentiâ alicui eripitur liber, aut quid aliud extorquetur: cum inviti & reluctantis manibus imponitur thus, ex iisque excussum in subjectum ignem diis incenditur, aut virgini, animò & voluntate dissentienti & corporis etiam vitibus reluctanti, stuprum inferitur. Ubi Dubium est de honestate & valore actuum gestorum vi absolutâ. Cui an-

G g g g

fam præ-

sam præbet *l. Nihil consensui* 116. ff. de R. 7. vim metumque æquiparans: & quod sicut metu, sic etiam vi gesta rata non habenda, *l. 1. ff. Quod met. caus.* & in irritum revocanda, asserantur *c. Abbas 2. & c. Ad audientiam 4.* per sententiam iudicis, merò Jure valida, non ipsò Jure irrita rescindentis, *arg. l. In causa 16. §. 3. ff. de Minoribus.*

3. Verùm, quia hos textus omnes DD. de vi solummodo conditionali gestis exaudiunt; iis non obstantibus, absolutà & præcisà vi gestos actus ex parte istam passim, omni vacare culpà & valore atque obligandi vi destitui, sententia TT. & JCT. um unanimi calculò approbata, ratiòque solida est; quòd, cum peccatum & culpa consistat in voluntate: & quod istà non consentiente meràque necessitate solàque extraneà violentià gestum est, istam passim nequeat imputari, id, quòd in & circa eum est gestum, culpæ poenæque reatu vacet & obligandi virtute destituitur. Confirmatur hæc ratio; quia voluntas propriè non in se sibi que propriis consentiendi & dissentienti actibus, sed in solis potentiis seu facultatibus suo imperio subjectis ab extraneà & creata vi cogi potest; ac proinde id, quod in homine invito ac dissentiente agitur, ejusmodi reatum & obligationem inducendi vi caret, juxta illud S. Augustini, *Corpus mulieris non vis maculat sed voluntas; tantum enim in mente valet integritas Castitatis, ut illà inviolatà neque in corpore valeat pudicitia violari, can. De pudicitia 6. & can. Ad Deum 7. in fine 32. q. 5. S. Thomas 1. 2. q. 6. art. 5. & Azor p. 1. Institut. lib. 1. cap. 9. q. 3.*

4. Porro Vis & vis inter se differunt, *c. De muliere 6. de Sponsal. & matrim.* Ex variis autem ejus partitionibus celebriores sunt duæ. Una in Publicam & Privatam. Publicà olim tenebatur, qui

aliquà potestate præditus civem Romanum antè ad Populum, postea ad Imperatorem appellantem necarit, necative jusserit, torserit, vulnerarit, condemnarit, vel in publica vincula duci jusserit. Privatà autem, qui aliquem armatis hominibus possessione, domò, villà, agrò dejecerit, expugnarit, obsederit, clauderit, idve ut fieret, homines commoderit, locarit: quive cum telo in publico fuerit, templa, portas, aliudve quid publicum cum armatis obsederit, cinxerit, clauderit, occuparit, *Isidorus Lib. 5. Etymolog. cap. 16. secutus Paulum JCT. um Sentent. lib. 5. tit. 26.* Alii publicam, quæ à publico Magistratu cuicunque, aut quæ magistratui à privato etiam sine armis inferitur; eam verò privatam dicunt, quæ privato homini inferitur à privato, *Decianus Tract. Criminal. lib. 8. cap. 1. n. 6. & Bruneman. in l. 1. ff. ad L. Jul. de vi public. num. 1.*

Hodie verò, qui cum armis vim inferat aut inferre tentat, paratè, de Publica: de privata autem vi tenetur, qui id sine armis facit, *§. Recuperanda 6. V. Quis autem Institut. de Interdictis & §. Item lex Julia 8. Institut. de Publ. judic.* Armorum autem appellatione veniunt non solum gladii, tela, sclopi & similia in armamentariis solita asservari sed fustes quoque, lapides & quodvis instrumentum quod ferire aut nocere potest, *§. Recuperanda cit. V. Armorum l. Armatis l. & l. Et qui ades 11. §. 1. ff. ad L. Jul. cit.* Unde de vi Publica hodie tenetur, qui ejusmodi instrumenta, non pro usu venaticis suave defensione in itinere vel na vigatione, *l. 1. & l. seq.* sed vis aut seditionis faciendæ causà comportarit, aut homines armatos congregarit, *l. 1. cit. l. In eadem 3. pr. qui armis, aut cum armatis aliquem aggressus fuerit, pulsarit, vulnerarit, l. Qui dolo 10. §. 1. vel in castro, domive incluserit*

includerit, oppugnârit, comprehenderit aut fecerit, ut se obligaret, multoque magis, ut aliquid largiretur, *l. Qui caru 5. pr.* qui villas, domos effringere, expilare, incendere parârit, esto opere id non compleverit, multoque magis si compleverit, *l. In eadem 5. l. Hi qui ades pr. cit.* qui que his similia aut affinia attentârit, *citt. aliusque 11. ff. ad L. cit.* Vis autem privatæ crimen committit, qui sine armis ex naufragio dolô malô aliquid rapuerit, *l. 1. §. 1. creditor*, qui sine iudicis autoritate rem debitoris rapuerit, in eamve intrârit, *l. Creditores 7. 5. l. fin.* qui homines non armatos convocârît, aut concurrerit ad aliquem verberandum, pulsandum &c. *l. Hac lege 2.* qui aliquem ex prædio suo eiecerit, aut quidpiam ex eo avexerit, licet pulsatio facta non sit *l. Si quis aliquem 5.* qui concursum fecerit, ne quis in jus produceretur, *l. Lege 4. 5. ff. ad L. Jul de vi privata.* Quamvis autem sine armis vis publica hodie non committatur, ejus tamen reus & pœnis obnoxius est, quicumque fœminam puerumve aut quemvis alium per vim stuprârît: & qui puerum aut juvenem ingenuum rapuerit, aut verberibus ad Summum periculum afflixerit, *l. In eadem cit. §. 4. 5. l. Et eum 6. ff. ad L. cit. de Vi publica:* cujus & privatæ quoque vis accuratiorem explicationem, & in utriusque commissæ reos constitutas pœnas, cum Interpp. ad *L. cit.* & DD. aliis dabunt Decianus *Tract. Criminal. lib. 8. à cap. 1.* Menoch. *de Arbitr. casu 394. à n. 2.* & Molina *Tract. 2. de J. 5. J. disp. 682. à n. 3.*

6. Alterâ partitione Vis quinque species, scilicet Compulsiva, Expulsiva, Turbativa, Inquietativa & Ablativa statuuntur à Glossa in *c. Ad audientiam 4. V. Causa.* Compulsivâ quis compellitur ad aliquid faciendum, vg. rem suam tradendam, debitorem liberandum: quod non

faceret, si externa vi non urgeretur, quæ vis etiam Conditionalis nuncupatur, indémque est quod metus, vel hunc inducit. Expulsivâ quis expellitur, seu vi deicitur rei immobilis & isti adharèntium possessione: adversus quam Jure proditum est Unde vi Interdictum. Turbativâ quis in possessione sua turbatur ab alio, se possidere contentente: adversus quam *Uti possidetis* pro immobilium eique cohærentium, & pro mobilium possessione retinenda *Utrubi* competunt Interdicta. Inquietativâ quis re sua quietè uti in eâve aliquid facere, vg. fundum colere in eâve ædificare non permittitur, eoque invitò aliquid agitur, vg. ædificium extruitur ab alio: quæ violentia *Quod vi aut clam* Interdictum inducit. Ablativâ mobile quid alicui eripitur & auferitur: quam vim passo *Vi bonorum raptorum* Actione succursum est, Glossa *citt.* Panormit. in *c. cit. n. 2.* & Pirrhing ad *hanc Rubr. n. 1.* In hanc actionem in judicio propositâ, & in Unde vi Interdictum

Dubium aliquando incidit de probatione quantitatis vel æstimationis rerum ablatarum & damni illati, vg. an Titius, domo suâ vi dejectus, aut pecuniâ, mercibus, aliisve rebus mobilibus spoliatus, ablatarum rerum quantitatem aut æstimationem probare valeat per juramentum, si violentæ occupationis & despoliationis tempore nemo fuit præsens & quorum depositionibus de illa fides in judicio fiat, atque aliarum probationum copia desideretur. Cui casui accommodatum Zenonis Imp. *l. Si quando 9. C. Unde vi* & huic conforme Gregorii IX. spoliatoribus adversus judicem, qui ipsos, spoliato singula, quæ amisit, non nisi proprio juramento probante, condemnârat, conquerentibus redditum, & *c. fin.* relatum rescriptum est, *Postquam de violentia per testes, 5. de amissis rebus per ipsius*

ipſius ſpoliati conſtitit ſacramentum, po-
tuit iudex taxatione ab ipſo facta, pro
perſonarum & negotii qualitate eos in
æſtimatione rerum amiſſarum, juramentò
adverſari declarata, rationabiliter con-
demnare.

Quare, ſecundùm Apoſtolicum hoc
& l. cit. relatum Imperiale reſcriptum in
propoſito caſu ante omnia violentiam il-
latam, ſi notoria non ſit, probari neceſſe
eſt per teſtes, etiam domeſticos & fami-
liares, hòc caſu in defectum aliorum ad
mittendos, hiſque deficientibus per indi-
cia, violentam præſumptionem inducen-
tia, Gloſſa in l. cit. V. Patefacta & in c.
cit. Panormit. n. 2. & Laiman n. 1. Cùm
ita de vi illata fides facta eſt, iudex, ſpo-
liatò ſuper rerum ablatarum quantitate
vel æſtimatione priùs auditò, iſtam ſi, ut
frequenter ſolet, immodica appareat, ta-
xatione ſua moderandò ad certam, quæ
ſpectatis rerum circumſtantiis juſta vide-
bitur, quantitatem reducet; ut, ſi actor
pauper pretioſam ſuppelleſtilem auream
ſibi ablatam, vel ſi expulſionis & dejectio-
nis locus ita exiguus ſit; ut ille tam pre-
tioſa habere, vel iſte expoſitæ quantita-
tis bona admittere veriſimiliter nequeat,
à iudice petita rerum ablatarum quanti-
tas vel æſtimatio ad minorem eamque re-
ducatur, quæ perſonæ vel loco congruere
videtur, ut colligitur ex c. cit. verbis *Pro
perſonarum & negotii qualitate*, Gloſſa in
c. cit. V. *Pro perſonarum* Donell. in l. Si
quando cit. in fine & Gonzalez in c. ſin. cit.
n. 8. in fine. Reductione ita facta, ſuper
taxata, non majore vel minore, quantita-
te actori ſpoliato iudex deferet juramen-
tum, c. cit. & l. Videamus 4. §. 2. ff. De in-
lit. jurando: quò præſtitò actori ſpolia-
to reum ſive ſpoliatorem condemnabit
adeam quantitatem vel æſtimationem,
ſuper qua eſt juratum: non ad majorem
vel minorem; ne illum ad minorem con-

demnandò ſpoliatum perjurii: vel ſum-
mentiam injuſtitie arguat, ſpoliato ad-
judicando majorem, ut Lib. 2. tit. 14. n.
27. & Tit. 24. n. 10. dicitur.

Atque hæc, ſicut in rebus ablatiſ per vim
& quodcunq; maleficium, ſicetiam
in re debita, ſi ob moram debitoris in-
terit, l. ſin. ff. De in litem jurando: in re-
bus ſub ſigillo depoſitis & ſine ſigillo re-
ſtitutiſ procedunt; nam & in hiſ, ſi de
furto, mora, ſigilli remotione legitime
conſtet, & rerum amiſſarum quantitas
vel æſtimatio aliter nequeat probari, ſu-
per ea damnum paſſo juramentum deferri
poſſe, cum Panormit. in c. ſin. cit. n. 1.
& 7. docent Laiman in c. cit. n. 3. in fine
& aliis relatis Bruneman, in l. Si quando
cit. à n. 6.

Proceſſus tamen iſte primò occurrò
difficilis videri poteſt, partim; quòd ne-
mo in ſua cauſa iudex aut teſtis idoneus
ſit, l. Unic. C. Ne quis in ſua cauſa jud. &
ll. Nullus 10. ff. & C. de Teſtibus. Pro-
poſitã autem procedendi ratione huiſ finis
imponatur juramentò actoris rebus ſuis
ſpoliati, de controverſia quodammodo
pronuntiantis, aut ſaltem de quantitate
vel æſtimatione ſibi adjudicata deponen-
tis: partim verò; quòd ad jurandum ad-
mittatur actor, alterius probationis omni
adminiculò deſtitutus: abſurdum autem
ſit, cùm quis aliam probationem omnem
deſperarit, tum demum ad jurisjurandi
Religionem, convolare l. Si quis 11. ff. C.
de Reb. credit.

Sed tuenda & modis omnibus con-
probanda eſt, adverſus alienarum rerum
violentos inſaſores Imperiali adinveſta
& Eccleſiaſticò Jure firmata ratio proce-
dendi; cùm eã adverſus facinoroſorum
hominum improbitatem non ſolum vim
atque injuriam paſſis privatis; ſed pu-
blica etiam tranquillitati fuerit proſpe-
ctum, itaque eis proſpiciendã ratio pe-
ſtitimã

stissima sit; cum odiô rei, qui vim inferendô Rempublicam perturbare temere ausus est: tum verò exposcente necessitate probationis: cuius aliunde deficientis inopiâ vim atque injuriam passus actor, si ad juramentum super rerum ablatarum quantitate & æstimatione præstandum non admitteretur, jacturam & irreparabile damnum saepe pateretur.

Neque, re verè æstimata, hunc procedendi modum difficilem reddit contra eum deductarum rationum prior; quia ipsa violentiæ notorietas & probatio, odiûmque spoliationis & spoliati miseria justissimam causam præbent admisioni ad juramentum; ne delictum maneat impunitum, & probationis aliunde deficientis inopiâ in rebus suis detrimentum patiatur innocens: & nocens seu violentus invalor ex iniquitate sua lucrum reportet. Minus urget posterior; quia ex eadem notorietate & probatione violentiæ orta præsumptio alterius probationis & adminiculi locû est; ut, sicut is, qui intentione vel exceptione suam probavit semiplenè, *c. fin. §. Sanè de Jurejurando*, sic etiam passus vim, cum de ista legitime constat, ad juramentum super rerum ablatarum quantitate vel æstimatione, iudicis taxatione ad æquitatem reductâ, præstandum admittatur, ut ad *cit. Tit. 24. n. 20.* statuetur.

ARTICULUS II.

De Vi Conditionali seu Metu.

SUMMARIUM.

11. *Definitio Metus:*
12. *Qui à causa necessaria vel libera, justè injussteve,*
13. *Ad actum extorquendum, vel aliò sine inferri potest.*

14. *Metus alius Gravis, alius Levis est:*
15. *Quorum ille magni,*
16. *Quod minitans illaturus judicatur:*
17. *Isse minoris mali intentione inferatur.*
18. *Metum Reverentialem gravem esse, quidam affirmant:*
19. *Verius alii negant:*
20. *Nisi vultus aut verborum asperitas importuna preces & similia,*
21. *Ad gravem metum inducendum alicui non sufficientia, accedant.*
22. *Gravis metus est, quicumque passum graviter perturbat,*
23. *Arbitrio iudicis prudentis.*

Vis Conditionalis & Impulsiva dicitur illatio Metus: qui secundum Ulpianum est mentis trepidatio instantis seu mox futuri periculi causâ, *l. 1. ff. Quod metus caus. gest.* sive passio & motus animi, imminens aliquod malum fugientis; ut, si quis librum petenti & si non det, mortem minitanti illum tradat, itave aliquid promittat. Quò casu & quoties ad imminens, quod timemus, malum evitandum aliquid agimus, licet id, quod movet & impellit, extra nos plerumque sit, principium tamen actionis est in nobis violentibus & agentibus id, quod nollemus & non ageremus, si imminens mali periculum abesset. Unde Metus voluntarium ac liberum non tollere, sed solummodo diminueret; & coacta voluntas esse voluntas dicitur, *l. Si mulier 21. §. 5. ff. Quod metus causâ gest.*

Provenit autem Metus quandoque à causa necessaria, v.g. à morbo, periculo naufragii vel alio simili principio Naturali: quandoque à libera, ut si ab homine incutiatur. Ab ista rursus aliquando justè, aliquando injustè inferitur. Justè inferri dicitur, cum, qui eum patitur,

G g g g g

titur,